


FERIA SEXTA IN PASSIONE ET MORTE DOMINI

Pássio Dómini nostri Iesu Christi secúndum Ioánnem.

In illo témpore: Egréssus est Iesus cum discíplis suis trans torrémentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introívit ipse, et discípluli eius. Sciébat autem et Iudas, qui tradébat eum, locum: quia frequénter Iesus convénerat illuc cum discíplis suis. Iudas ergo, cum accepisset cohórtem, et a pontíficibus et pharisáeis minístros, venit illuc cum latérnis, et fácibus, et armis. Iesus itaque sciens ómnia, quæ ventúra erant super eum, procéssit, et dixit eis: ✠ Quem quæritis?


C. Respondérunt ei:



E-SUM Na-za-ré-num.

C. Dicit eis Iesus: ✠ Ego sum.


C. Stabat autem et Iudas, qui tradébat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abiérunt retrórsum, et cecidérunt in terram. Iterum ergo interrogávit eos: ✠ Quem quæritis? **C.** Illi autem dixérunt:



***S.** Ie-sum Na-za-ré-num.


C. Respóndit Iesus: ✠ Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sínite hos abíre. **C.** Ut implerétur sermo, quem dixit: Quia quos dedísti mihi, non pérdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gládium edúxit eum: et percússit pontíficis servum: et abscídít aurículam eius déxteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: ✠ Mitte gládium tuum in vagínam. Cálicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? **C.** Cohors ergo, et tribúnus, et minístros Iudæórum comprehendérunt Iesum, et ligavérunt eum. Et adduxérunt eum ad Annam primum, erat enim socer Cáiphæ, qui erat póntifex anni illíus. Erat autem Cáiphás, qui consílium déderat Iudæis:

Quia expedit unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariae: et introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria:




S. Numquid et tu ex discipulis es hominis istius?

C. Dicit ille:




S. Non sum.

C. Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se: erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis, et de doctrina eius. Respondit ei Iesus: ✠ Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt: et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quae dixerim ego. **C.** Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens:




S. Sic respondes pontifici?

C. Respondit ei Iesus: ✠ Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me caedis? **C.** Et misit eum Annas ligatum ad Caiapham pontificem. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei:




***S.** Numquid et tu ex discipulis eius es?

C. Negavit ille, et dixit:




S. Non sum.

C. Dicit ei unus ex servis pontíficis, cognátus eius, cuius abscídit Petrus aurículam:




S. Nonne e-go te vi-di in horto cum il-lo?

C. Iterum ergo negávit Petrus: et statim gallus cantávit. Addúcunt ergo Iesum a Cáipha in prætórium. Erat autem mane: et ipsi non introiérunt in prætórium, ut non contaminaréntur, sed ut manducárent Pascha. Exívit ergo Pilátus ad eos foras, et dixit:




S. Quam accu-sa-ti-ó-nem af-fér-tis advérsus hómi-nem hunc?

C. Respondérunt, et dixérunt ei:




***S.** Si non esset hic ma-le-fáctor, non ti-bi tra-di-dissémus e-um.

C. Dixit ergo eis Pilátus:




S. Accí-pi-te e-um vos, et se-cúndum le-gem vestram iu-di-cá-te




e-um.

C. Dixérunt ergo ei Iudáei:




***S.** No-bis non li-cet inter-fi-ce-re quemquam.

C. Ut sermo Iesu implerétur, quem dixit, significans qua morte esset moritúrus. Introívit ergo íterum in prætórium Pilátus, et vocávit Iesum, et dixit ei:




S. Tu es Rex Iu-dæ-ó-rum?

C. Respóndit Iesus: ✠ A temetípso hoc dicis, an álii dixerunt tibi de me? **C.** Respóndit Pilátus:




S. Numquid e-go Iu-dæ-us sum? Gens tu-a et pontí-fi-ces



tra-di-dé-runt te mi-hi: quid fe-cí-sti?


C. Respóndit Iesus: ✠ Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, minístri mei útique decertárent ut non tráderer Iudáeis: nunc autem regnum meum non est hinc.

C. Dixit ítaque ei Pilátus:




S. Ergo rex es tu?

C. Respóndit Iesus: ✠ Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimónium perhíbeam veritáti: omnis qui est ex veritáte, audit vocem meam. **C.** Dicit ei Pilátus:




S. Quid est vé-ri-tas?


C. Et cum hoc dixisset, iterum exívit ad Iudáeos, et dicit eis:



S. E-go nul-lam invé-ni-o in e-o cau-sam. Est au-tem con-




su-e-tú-do vo-bis, ut u-num di-mít-tam vo-bis in Pascha:




vul-tis ergo di-mít-tam vo-bis Re-gem Iu-dæ-ó-rum?

C. Clamavérunt ergo rursus omnes, dicéntes:




***S.** Non hunc, sed Ba-rábbam.

C. Erat autem Barábbas latro. Tunc ergo apprehéndit Pilátus Iesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti eius: et veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, et dicébant:




***S.** A-ve, Rex Iu-dæ-ó-rum.

C. Et dabant ei álapas. Exívit ergo iterum Pilátus foras, et dicit eis:




S. Ecce addú-co vo-bis e- um fo-ras, ut cognoscá-tis, qui- a




nul-lam invé-ni- o in e- o cau-sam.

C. (Exívit ergo Iesus portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum.) Et dicit eis:



S. Ecce homo.

C. Cum ergo vidissent eum pontífices et minístri, clamábant, dicéntes:




***S.** Cru-ci- fí-ge, cru-ci- fí-ge e- um.

C. Dicit eis Pilátus:




S. Accí-pi- te e- um vos, et cru-ci- fí-gi- te: e-go e-nim non




invé-ni- o in e- o cau-sam.

C. Respondérunt ei Iudæi:




***S.** Nos le-gem ha-bémus, et se-cúndum le-gem de-bet mo-ri,




qui- a Fí- li- um De- i se fe-cit.

C. Cum ergo audísset Pilátus hunc sermónem, magis tímuit. Et ingressus est prætó-rium íterum: et dixit ad Iesum:




S. Unde es tu?

C. Iesus autem respónsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilátus:




S. Mi-hi non lóque-ris? nescis qui- a po-testá-tem há-be- o




cru-ci- fí-ge-re te, et po-testá-tem há-be- o di-mít-te-re te?

C. Respóndit Iesus: ✠ Non habéres potestátem advérsum me ullam, nisi tibi datum esset désuper. Proptérea, qui me trádidit tibi, maius peccátum habet. **C.** Et exínde quærébat Pilátus dimíttere eum. Iudæi autem clamábant dicéntes:




***S.** Si hunc di-mít-tis, non es amí-cus Cæ-sa-ris. Omnis e-nim,




qui se re-gem fa-cit, contra-dí-cit Cæ-sa-ri.

C. Pilátus autem cum audísset hos sermónes, addúxit foras Iesum, et sedit pro tribu-náli, in loco qui dícitur Lithóstrotos, hebráice autem Gábbatha. Erat autem Parascéve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Iudæis:




S. Ecce Rex vester.

C. Illi autem clamábant:




***S.** Tol-le, tol-le, cru-ci- fí-ge e- um.

C. Dicit eis Pilátus:



S. Re-gem vestrum cru-ci- fí-gam?


C. Respondérunt pontífices:




***S.** Non ha-bémus re-gem, ni-si Cæ-sa-rem.

C. Tunc ergo trádidit eis illum ut crucifigerétur. Suscepérunt autem Iesum, et eduxé-runt. Et báifulans sibi crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriae locum, hebráice autem Gólgotha: ubi crucifixerunt eum, et cum eo álios duos, hinc et hinc, médium autem Iesum. Scrispsit autem et títulum Pilátus: et pósuit super crucem. Erat autem scriptum:

Iesus Nazarénus, Rex Iudæórum. Hunc ergo títulum multi Iudæórum legérunt, quia prope civitátem erat locus, ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum hebráice, græce, et latíne. Dicébant ergo Piláto pontífices Iudæórum:




***S.** No- li scrí-be-re, Rex Iu-dæ- ó-rum, sed qui- a ipse di-xit:




Rex sum Iu-dæ- ó-rum.

C. Respóndit Pilátus:



S. Quod scripsi, scripsi.

C. Míletes ergo cum crucifixissent eum, accepérunt vestiménta eius (et fecérunt quátuor partes: unicuíque míliti partem), et túnica. Erat autem túnica inconsútilis, désuper contéxta per totum. Dixérunt ergo ad ívicem:



***S.** Non scindámus e- am, sed sor-ti- ámur de il-la cu-ius sit.

C. Ut Scriptúra implerétur, dicens: Partíti sunt vestiménta mea sibi: et in vestem meam misérunt sortem. Et míletes quidem hæc fecérunt.

Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, et soror matris eius María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Iesus matrem, et discipulum stantem quem diligébat, dicit matri suæ: ✠ Múlier, ecce fílius tuus. **C.** Deínde dicit discipulo: ✠ Ecce mater tua. **C.** Et ex illa hora accépit eam discipulus in sua.

Póstea sciens Iesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: ✠ Sítio. **C.** Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori eius. Cum ergo accepísset Iesus acétum, dixit: ✠ Consummátum est. **C.** Et inclináto cápite trádidit spíritum.

Hic genuflectitur, et pausatur aliquantulum.

Iudæi ergo (quóniam Parascéve erat) ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati) rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites: et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Iesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius crura, sed unus mílitum láncea latus eius apérui, et contínuo exívit sanguis, et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium eius. Et ille scit, quia vera dicit: ut et vos credátis. Facta sunt enim hæc, ut Scriptúra implerétur: Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt.

Post hæc autem rogávit Pilátum Ioseph ab Arimathæa (eo quod esset discípulus Iesu, occúltus autem propter metum Iudæórum) ut tólleret corpus Iesu. Et permísit Pilátus. Venit ergo, et tulit corpus Iesu. Venit autem et Nicodémus, qui venérat ad Iesum nocte primum, ferens mixtúram myrrhæ, et áloës, quasi libras centum. Accepérunt ergo corpus Iesu, et ligavérunt illud línteis cum aromátibus, sicut mos est Iudæis sepelíre. Erat autem in loco, ubi crucifíxus est, hortus: et in horto monuméntum novum, in quo nondum quisquam pósitus erat. Ibi ergo propter Parascéven Iudæórum, quia iuxta erat monuméntum, posuérunt Iesum.